

primit. Rhet. p. 289. Ut Deut. XXVIII. 3. seq. ubi sc̄epius repetit. tur: *Benedictus*; uti v. 16. seqq. *Maledictus*. I. Joh. I. 1. QVOD erat ab initio, QVOD audivimus, QVOD vidimus oculis nostris, QVOD perspeximus. I. Cor. VI. 2. 3. 9. 15. 16. 19. Qvorum versuum singulorum initium est: AN NESCITIS. Matth. V. 21. 22. AUDISTIS QVOD DICTUM SIT VETERIBUS. AT EGO DICO VOBIS. Qvæ verba aliquoties repetuntur. *Mattb. XI. 7. 8. 9.* QVID EXISTIS, UT VIDERETIS? Num. XXIV. 3. DICTUM *Bilbami filii Beboris*, & DICTUM *viri aperti oculis*, DICTUM *audientis sermonis Dei*. t. v. 15. 16. 2. Sam. XXIII. 1. Ps. LXXVII. 2. VOX MEA AD DEUM cum exclamo: VOX MEA AD DEUM ut aurem adverteat ad me. CXLII. 2. VOCE MEA ad Jeboam clamo, voce mea apud Jehovaham deprecor. Prov. IV. 5. ACQVIRE sapientiam, ACQVIRE prudentiam. Jes. XLVI. 8. Recordamini v. 9. Recordamini- LXII, II. ECCE jalus tua advenit, ECCE merces bujus penes ipsum. Jer. IV. 23. VIDI ET ECCE. Qvod quater repetitur v. seqq. Dan. IX. 19. DOMINE exaudi, DOMINE condona, DOMINE attende & effice. Joh. V. 36. OPERA enim, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ea ipsa OPERA, &c. August. Homil. 28. lib. 50. Homil. Audi ergo Psalmum, TE admonuit, TE quicunque es, qui forte hic bodie stas, & nocte aliquid fecisti, TE admonuit, tibi dixit: Hæc fecisti, & tacui. Cic. lib. 2. in Verr. p. 144. B. VIDETE porro aliam clementiam. VIDETE, ut, dum expedire se vule, induat.

(IV.) Epiphoræ, seu repetitionis in clausulis diversorum intervallorum, exemplum attentionem movens est Ezech. VII. 5. 6. ECCE ADVENIT. & ap. Cic: in Verr. I. 3. p. 212. G. Quid possat ATTENDITE: & vos, queso, simul, Judices, aequitatem prætoris ATTENDITE.

(V.) Mediana figuratio dictionis, seu repetitio in media divisorum intervallorum, ut inculcationem, ita & attentionem adjuvat. Rhet. p. 290. Jes. XXXVII. 17. Inclina DOMINE aurem tuam, & audi, aperi DOMINE oculos tuos, & vide.

(VI.) Epanalepsi, seu repetitione initialis prioris & finalis posterioris intervalli, Christus auditores suos excitat Marc. XIII. 39. 37. ubi parænesin suam exorditur & finit eodem verbo: VIGILATE, 2. Par. XVIII. 19 Propheta incipit: AUDITE verbum Jebo-